



fol. 81 dixi. Accepimus autem a quodam nobis referente, quod illam, quae fuit principalior uxor et senior, accepit vel eripuit de lupanari in Alexandria, in quo prostituta tenebatur. Alteram autem juniorem puellam emerat in Graecia et adolescentulam factam duxit uxorem. Non autem curant Sarraceni aut Mamaluci, quod eorum uxores sunt Christianae de hoc vel de illo ritu. Porro nobis in thalamo stantibus et ornatum aspicientibus dixi ego latine ad dominum domus: ecce, hic est paradus vester, quid quaeso habebitis in alia vita? Antequam autem responderet, extulit vocem senior uxor, ad loquendum satis prompta, quia verba mea intellexerat, dicens: imo, inquit, et hic et in futuro paradiso fruemur. Cui cum dicerem, hoc impossibile fore, illa in contrarium reclamabat. Ego vero suis multiplicibus verbis respondere dedignabar. Juxta hanc cameram erant aliae camerae pulchrae, ad quas intravimus et vidimus.

Post hoc descendimus in curiam. Per ejus circuitum multae erant cellulae et cavernae, una autem bene clausa seris ferreis et repagulis nobis aperuit et introduxit, in qua sedit unus Christianus catenatus compedibus. Ad introitum autem nostrum surrexit et ad pedes nostros cecidit, petens, ut opera misericordiae in eum faceremus, quatenus de istis catenis liberari posset, duobus enim fere annis sic in captivitate deguerat pro eo, quod in Alexandria emerat duos pueros a quodam paupere Sarraceno, cujus erant, eosque in Cretam, unde oriundus fuerat, detulit et baptizari fecit. Vetat autem lex Machometi, quod Christiani non debent emere Sarracenos, nec Sarraceni debent subdi quovis modo Christianis. Cum autem (83 a) rediisset in Alexandriam, venit ad eum quidam Mamalucus, qui emtioni interfuerat, dicens ei: ecce, Christiane, contra legem Sarracenorum emisti duos Sarracenos me vidente et eos abduxisti in locum tuum, nisi ergo me aliquo munere placaveris, domino Soldano accusaberis et hinc absque castigatione non evades. Has minas mercator ille parvi pendit et malis verbis Mamalucum a se repulit, qui statim abiens praefecto Alexandriae eum accusavit, qui eum statim missis servis captivavit et vinctum Cahirum transmisit judicandum. Traditus autem fuit Tangwardino, ut custodiret illum et sententia in eum lata talis fuit, ut e tribus unum eligeret, vel daret quingentos ducatos, vel Christi fidem abnegando circumcisionem acciperet, vel morti alicui se submitteret.

036

034

040

030

045

025

085

135

535

Ende

Anfang